

PAMFLET
1000




DE
ILLVSTRISSIMI,
FORTISSIMIQ. PRINCIPIS,
ac D. D. Mauricij, Principis Aurasini, &c.
Comitis Nassauij, &c. Marchionis Verę, & Vlyssingę &c.
Gubernatoris Geldrię, Hollandiæ, Zelandię, Zutphaniæ,
Vltraiecti, Transisulaniæ, Provinciarum in Belgio pro
Religione, & Priuilegijs fœderatarum Archistra-
tegi, & Archithalassi, &c. gloriosis
victorijs anno CIↃ. IↃ.
XCVII pane-
gyris.

GERARDI STRATENI.

Salomon ait Proverb. cap. 21. vers. 31.

Equus aptatur ad diem prælij, sed Iehouæ est ipsa salus.



Traiecti ad Rhenum,
Ex officina Salomonis Rodij, ejusdem Trajectensis die-
cœsios Dominorum Ordinum Typographi ordinarij.
ANNO CIↃ. IↃ. XCVIII.

DE
ILLVSTRISSIMI
FORTISSIMIQ. PRINCIPIS,
ac D. D. Mauricij, Principis Aurasini, &c.
Comitis Nassauij, &c. Marchionis Veræ, & Vlyssingę &c.
Gubernatoris Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Zutphaniæ,
Vltraiecti, Transisulaniæ Prouinciarum in Belgio pro
Religione, & Ciuili ... Archithra-



Traiecti ad Rhenum,
Ex officina Salomonis Rodij, ejusdem Traiectensis diœcesios Dominorum Ordinum Typographi ordinarij.
Anno clↄ.Iↄ.xcviii.

AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM MAVRITIVM.

MAGNANIMI Heroes heroa Poëmata spernant,
Pro lare cum Patrio carmine digna gerant?
Pieridas testes sibi iungere gaudet Enyo,
Vt decora Heroum, & parta tropæa canant.
Ergo panegyrias, vatumq; epinicia, & odas,
Ceu stimulos laudum, scripta vetusta probant.
Funere Darium qui ingenti strauit; Homerum,
Nocteq; puluino subdidit arma suo.
Scipio, cui primo dux Hannibal acer in armis
Viribus amissis terga coacta dedit:
Quiq; ruina fuit Carthaginis ultima: tanti
Non sine Pimpleo rore fuere duces.
Scipiadæ in Libycis pater Ennius adfuit oris:
Et pedes, & cantus eius amavit eques.
Secum etiam duxit reduces Victoria Musas:
Martia queis circum tempora Laurus erat.
Cum Pharij currus in se redeuntibus undis
Occiderant, Miriam fluxit ab ore melos.
Dauidicas lauros etiam cecinere puellę:
Et cecinit Dauid cantica grata Deo.
Tu modo Scipiades noster: superatur Iberus
Te duce Gætulo sævior Hannibale.
Iam frustra immani Goliathus robore fidens
Vincitur, & Pharo, & sternitur alter Ogus.
Qui fidit Oceanum, & valida virtute Seonem
Fudit, & Isacidis hostica rura dedit:
Is duce te nostris cervicibus abstinet hostem,
Et solidat firmis regna Bataua seris.
Sufficit ille tibi vires, animumq; ministrat,
Et docet armatam belligerare manum.
Perge noue Alcida stygios frænare molossos
Dilanient posthac ne rabido ore pios.
Geryones, scelerum quos nutrit Iberia in usum,
Et Nemeæa tibi monstra subacta cadant.
A Batavis (verum mea mens præsagiat, opto)
In proprium vertas prælia Ibera caput.
Sunt hæc vera ducis, Virtutem extendere factis,
Munia: & ingenio, digna tuo, & genio.
Horror Iberorum, ast amor, & tutela piorum
Æmula virtutis provida cura tua est.
Gloria quam belli virtute merere, vigebit,
In mare dum condet defluus amnis aquas.

Tanta Sophoclea

Tu modo primævis meruisti æneida bellis,
Hei mihi quod meritis nostra Thalia minor.
Exiguas promunt, fateor, mea carmina vires:
Nec satis ingenium Pieria arte valet.
Hæc pepigi crasso filo, pinguiq; Minerva,
Cum nequeam Aonijs prælia flare tubis.
Litus, amoq; vadum, & mea palmula radit arenas,
Cum siet alta nefas ducere vela solo.
Me tuus ursit amor, tua me victoria iussit
Porrigere audaci quantulacumq; manu.
Et quis, ab omnimoda nisi sit pietate repulsus,
Non faveat lauris pollice utroq; tuis?
Cum fuerim in primo Iustini flore minister,
Nassaviûm in nostra mente diurnat amor.
Te precor ergo mei, quo te complector, & omnes
Sanguinis Auraici, hanc symbolam amoris habe.
Si fuit, & parvę nonnulla est gratia Musæ,
Ne melos hoc oculo turbidiore legas.
Ruricolæ palmis haustam de flumine quondam
Non tetrica Xerxes fronte recepit aquam.
Lacte molaq; Dijs etiam sine thure litatum:
Lucæ.21.1. Nec renuit summus munera parva Deus.
Narrat Erichthonios quorundam pagina ad aras
Pro bove alexiaco mala tulisse Deo
Si tua Pierijs sat abundant scrinia chartis
Poma quoq; Alcinoo crede fuisse data.
Nectar, & ambrosiam gentes tribuere tonanti,
Nec minus exsta, merum, & thura dedere Iovi.
Quod teneat primas in munere promta voluntas
Dantis, & ausonia, & dicta pelasga monent.
His ego me adversum, Princeps generose, pudorem
Munio, ne croceam ducat in ore notam.
Nil metuo viridi tinctas ærugine linguas:
Non potis est animum rodere iure Theon.
In te præsidium patriæ, columenq; locatum est:
Te patrię, ut spero, sospite sospes erit.
Te, decus o patrię, & rerum fiducia, salvo,
Incolumes nostros credimus esse lares.
Ergo Deus belli præses tua bella secundet,
Vt placida in Belgas defluat inde salus.
Turbine bellorum ne mens agitata vacillet,
Stent tua divino pectora fulta pedo.
Vsq; triumphali redimitus tempora lauro
Vt redeas strato, faxit ab hoste Deus.

Tanta

Tanta Sophocleo tua adorea digna cothurno;
Vix tua Mæonidis Castalis acta canat.
Non secus ac spinas cita flama furentibus austris,
Conterat hostiles numinis ira globos:
Et, veluti Zephyris rapiuntur in aëra glumæ,
Dissipet Hispanas certa Dei aura minas.
Teq;, tuosq;, Deus, cum vis inimica propinquat,
Roboret, & contra cæca pericla tegat.
Talibus auspicijs tibi sors dabit æqua bravium,
Cum tuus incœpto pulvere sudet equus.
Porrigit ergo, novæ tanquam prelудia laurus,
Hos mea de lauris Calliopea modos.
Rursum ut io magnos clamet tibi iure triumphos,
Nuncupat illa Deo vota, litatq; prece.

ENCOMIVM BREVE IN LAVDEM ILLVSTRISS. PRINCIPIS MAVRICII.

Ἀλλοπρόσαλλος Ἄρης παρέχει ἑτεραλκέα νίκην.
Πρῶτα μὲν ἐν πολέμῳ ἐπιτάρροθος ἔσκεν Ἰβήρῳ.
Οὗτος ἐν εὐσεβέων χέρας αἵματι δῆθ' ἐμίηνε.
Ταῦτα δι' ἀμπλακίην θεοῦ ἐξετελέσσατο βουλή.
Ἡμετέρῃς πάθομεν δὴ ἀτασθαλίῃσιν ὀϊζύν.
Νῦν δ' ἄρ' ἀπορρίπτων Θεὸς εἰς φλόγα πατρίδα ῥάβδον,
(Ὃς ταμίης πολέμου, ἀγαθῶν τε, κακῶν τε τέτυκται)
Εἵνεκεν εὐσεβέων, καὶ ἑὸν διὰ κῦδος ὀπάζει
Μαυρικίῳ νίκην, καὶ φαίδιμον εὖχος ἀρέσθαι.
Σὺν θεῷ Αὐραΐκος μέγα τάρβος ὑπῆρξεν Ἰβήροις·
Ἀλλὰ κακοῦ πολέμου λαοσσόον ἕρκος Ὀλανδοῖς.
Τόσσον ἐκεῖνος ἔην κῦστε, μέγας τε κύβερνος.
Παῦροι γὰρ παῖδες γενετῆρι πέλονται ὅμοιοι·
Βελτίονες παῦροι πλέονες δ' ἐτεῖοι χέρειους.
Μαυρίκιος πέλεται γενέτῃ μεγαλήτορι ὅμοιος.
Ἀρχοῦ ἑῆος ἐῢς παῖς ἐστὶν ἐπήρατος ἄρχος.
Τῷ μένος ἔστακται πατρὸς, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ.
Οὐκ ἀεὶ Ἡρώων κακὰ πήματα τέκνα φύονται.
Μαυρικίου δ' ἀρετὴν συνετὸς βροτὸς οὔτις ὄνοιτο.
Ἔστιν ἔρως βαταβῶν, καὶ ἔμπεδον ἕρμα πολήων.
Ὃς μάλα ἶφι πόνοις ἡρακλείοισιν Ἰβήρους
Αὐχμενέας λέρνας, καὶ δεινὰ πέλωρα δαμάζει.
Οὐ πέλετ' ἡγεμονεὺς οὐ μὲν πρὸς δόξαν ἀμαυρός.
Μαυρίκιος δ' ἄρα εὖ, ὅτι μαυροῖ ἐχθρὰ, καλεῖται.
Τοῦτο δὲ ἐκτελέει προφερέστατον ἔργον Ἄρηος.
Ὅττιν εἰ ἐκπέρσαι μόνον, ἠδ' ἀλαπάξαι ἀπεχθεῖς.

Τευχοφόρους τ' ἄνδρας πολίεσσι δίτ' ὄλβι' ὀρέξαι.
Σίνεται Ισπανοὺς ὑπερήνορας· αὐτὰρ ἀλιτρῶν
Τῶν πόλεων ἀδινὸν περικήδεται, ἠδ' ἐλεαίρει,
Αἰδ' ἐὸν εἰς μοῦνον τελέθουσι θέμιστας ὄνειαρ.
Πλουτοδότης, τρόφιμος, πολιεὺς, ἐπάρωγος, ἀλεξητήρ,
Μαυρίκιος τε πατὴρ πατρίδος μεγάθυμος ὑπάρχει.
Γούνασι Βελγάων ἄτη δμηθεῖσι βαρεία
Νόσφι δόλου μενεαίνει ἀρῆξαι, ἀμῦναι, ὀνῆσαι.
Τοὔνεκεν ὁπλομάχους μάλ' ἔπεφνε, καὶ ἔργῳ ἐλάσσας
Εἰς σφαλεροὺς ἐχθροὺς ὑπερήνορας ἔλλαχε τιμάς·
Περσάμενος τε πόλεις ἀρετῶσι καὶ αἶσαν ὑπ' αὐτοῦ.
Οὔποτε τοῦτο κλέος πλατὺν οὐρανὸν ἷξαν ὀλεῖται.
Τῶν πόλεων ἀνέῳξε πύλας, καὶ ἄπωσεν ὀχῆας·
Τάσδε πετασθείσας κακὸν οὐδὲν οὐ ἔρξεν ὄνειδος.
Ἀντὶ μεριμνάων καταθύμιος ἵκετο μοῖρα.
Αὐτὰρ Ιβὴρ πόλεας νεφέλῃσι γόοιο καλύπτει.
Τῷ δὲ μέμηλ' ὕβρις, κ' ὅδε σχέτλια ἔργα κομίζει.
Μαυρογενὴς Ισπανὸς (ἐπεὶ νόος ἐστὶν ἀπηνὴς)
Δουλοσύνην, κακότητα, πόνους τε, καὶ ἄλγεα τεύχει·
Πολλοὺς θ' (ὡς οἴει) κατνεύνοχεν ἄϊδος εἴσω.
Μαυρικίου δ' ἀλκὴ, εὐηγεσίη τε δαΐφρων,
Ος αἰὲξ οὐρανίη, λαοῦ παλιναυξεῖ τίκτει
Χαιροσύνην, φιλότητα, φόως, παλινάγρετον ἀκμὴν,
Καί ζαθέην διδαχὴν, καὶ ἐλεύθερον ἦμαρ ὀπάζει.
Σωσίπολις Μαύριξ· περσέπτολίς ἐστιν Ιβηρος.
Τόνδ' ἀγαθ' ἐν Βελγαῖς ἐὸν ἡγεμονῆα προθύμως
Αμφαγαπῶσιν ἴσως φάεσσιν, ὁμῶς τε τοκεῦσιν.
Εἰ βλεφάρων ἀπὸ ἢ πραπίδεσσιν ἄλοισι πάρεστι.
Πολλάκις Ισπανὸς θάναζεν καὶ μᾶλλον ἄρηος
(Ως ποτεν Αὐραΐκῳ ὀλοόφρον' ἐμήσατο θυμῷ)
Ης φρεσὶ Μαυρικίῳ, καὶ μηχανάασθαι ἑταίροις·
Ἀλλ' ἔτι νῦν τούτοις νικηφόρος αἶσα βιῶναι.
Ισπανίοιο βίη, μάχη, ἠδ' ἀπολοιὸ τυραννὶς
Χερσὶν ἐν δυσσεβέεσσι θεουδιότητι δαμεῖσα·
Μαυρίκιον δὲ Θεοῦ χάρις ἀφθιτοῦ ἀσπίδι σαώζει,
Οφρα μάλ' εὐπρακτῶν μέχρι γῆρας οὐδοῦ ἱκάνει.
Ει μεγα ἔργον ἀλιτροσύνῃσι κακοῖσιν ἐοργὼς
Εχθρὸς ἀναίνητ) καταπαυέμεν ἀφροσυνάων,
Ουλομενῶν τε φόνων ἀποληγέμεν ἔγχε' Αρηος·
Αμπλακιῶν κεφαλῇ ἀνάμαξας ἀφήκαλλωβην
Τίκ ὑπερβασίην ἐν δηϊοτῆτι ταχίστη.
Ps. 139.21. Τοὺς δ' ἐμεῖο Θεοῦ δυσμενῶν ἐέλδομαι αἶνον.
Μαυρικίῳ δὲ κέρας γενέτω δυτῆρος ἐάων

Εγγυαλίζει

Ἐγγυαλίξῃ ἀεὶ ἐρικυδέα δῶρα λαβέσθαι.
Ὄφρα μὲν αὐτὸν ἑῆς μεμαὼς κραδίῃσι γεραίρῃ,
Μήτ' αἴκων ἀνύῃ θεοτερπέι θεσμῶ ἐφετμάς.
Εἰθενόμῳ ζαθέῳ λύχνῳ τε, καὶ ἡγεμονῆι
Ἀνδρομέου βιότου ὅλον ἡγεμονῆες ἔποιντο.
Θεσπιδ' ἐνὶ βίβλῳ κεχαραγμεν ἀμύνεται ἄρχων
Μαυρίκιος γενέτου καλοῦ ἴχνεα καλὰ φυλάσσων.
Αὐτὰ δ' ἀριστῆες, καὶ σύμμαχοι ἀρχοὶ Ὀλαμδῶν,
Καὶ χθονὲς ἔνσπονδοι, πολλοί τ' ἀντάξιοι ἀλλῶν
Ἔννομα ῥέζουσιν θεοῦ ἵλαον ὄμμα τανόντας.
Ἐχθροὶ ἀτὰρ λύσσης δεδονημένοι ἄφρονος οἴστρῳ
(Μᾶλλον ἐπεὶ ἀγαπᾷ ζοφόεσσαν κόσμος ὁμίχλην)
Ἀμφιπολεύουσιν σκολιόν τε, καὶ οὖλον ἐελδῶρ
Αὐσονίου θεοῦ· ὃς πολεμήϊον ἔργον ἐπείγει,
Ἀντίθεός τε γάων, καὶ πολλ' ἀπατήλια εἰδώς,
Δυσσεβέας πράξεις ἐπιτέλλεται, ἠδὲ κελεύει.
Τοὔνεκεν εἰδώλου δρηστὴρ Ἱσπανὸς ἐκείνου
Χριστιανοὺς ὕδατι, φλογ' ἀπέκτανει, ἠδὲ σιδήρῳ,
Δουλοσύνην ζαθέῳ γενετῆρι τελέσσαι ἐολπώς.
Οὐκ ἀπολήγουσιν χερσίν τε, ποσίν τε τελέσσαι
Κειράμενοι κεφαλὴν βουληφόροι αὐτὸν ὀτρύνειν,
Ὀξέας ὄφρα πόδας δονῇ ἐκχέαι αἷμα, κύνεσσιν,
Καὶ ὀφίεσσιν ὁμῶς, καὶ ἴσως ἀΐδαο πύλῃσιν
Θεσπησίου μύθου στυγέων ἐνὶ φρεσὶν ἐρασάς.
Μαυρίκιος δὲ Θεῶ χάριν ἐκ πραπίδεσσι πιφαύσκει
Οἷιν ἐτητυμίῃ θεοδέγμον' ὅπλοισιν ἀρήγει.
Καίπερ ἀλεξίκακος Θεός ἐστι βοηθὸς αὐτῶ·
Ἐν πολέμῳ δ' ἔτε κείνου ἀποπροθεν οὐδὲν ὑφαίνει.
Ἐχθρὸς Ἰουδαίων, ἐθνῶν τε μάλ' εἰκονοπλάστων
Ἐργαφιλῶν μοναχοὺς μεταμώλιον ἄχθος ἀρούρης,
Ὥστε θεοὺς, σέβεται, καὶ ἐτώσιον, ἄπνοον εἰκώ.
Μαυρίκιος δὲ θεοῦ μέγα δῶρον ὀρεχθὲν Ὀλανδοῖς
Τρὶς μάκαρ ἄρχος ἐὼν, καὶ τετράκις εἰκονοκλαστῶν
Ἐν ποτ' Ἰουδαίᾳ βασιλέων καλὸν οἶμον ὁδεύων,
Κήρυκας ἀθρασοῦς εὐαγγελίοιο γεραίρει,
Καὶ ἐν ἀληθίῃ, καὶ πνεύματι παμμεδέοντι
Γούναθ' ὑποκλινέει ζαθέης ἐπιδευέ' ἰαρωγῆς.
Ἀνθαδὲ Μαυρικίῳ μέθ' ἑῆς φρεσὶν ἡδὺ γένοιτο
Ζώεμεν· ἀλλὰ Θεοῦ μῆνις δμήτειρα τυράννων
Σχέτλιά τ' ἔργ' αὐτῶν ὀλοοὺς δαμάσσειεν Ἰβήρους,
Ὄφρα τάχιστα θανόντες ἡμῶς φθιμένοισι μετείη.
Ὡς αἰ[illegible] πολλοὶ προΐαμμεν' ὄλοντο
Τῆς φέτερῃ κακότητι, καὶ οὗτοι ὀλοίατο μοίρῃ.

εὐπραξίαν opto.

INclyte dux armis, virtutibus aucta benignis,
Dum favet aura Dei, dum Occasio fronte serena
Suaviter arridet: dum conficit omnia terror;
Vtere temporibus, felicibus utere fatis.
Næ Metanœa ducum præcordia sera molestat.
Omnipotens rerum custos te mente labantem
Dirigat ambiguum, te certo robore firmet;
Consiliumq́; pium, instillet de rebus agendis
Quod dein haut ullo languore morare paratus.
Hoc grave Martis onus duce, militiæq; magistro
.i. Læto & optato successu Cic. de divinat. Fortiter exorsus validè successibus insta,
Vt bellum inceptum peragas rumore secundo
Hosteq; vel cæso, vel Belgi ex finibus acto
Exhilares Belgas ad fœdera prisca reductos.
Perge Deo fretus, quæcumq; ad bella voceris;
Neve aliunde puta rerum exspectanda tuarum
Præsidia. Hæc spes, & bellorum hæc anchora in vndis,
Et placidus portus, durisq; in rebus asylum.
Stat quasi murus, in hac qui collocat arce salutem.
Psal. 33.17 Non rigidis armis, opibusq; nec arte magistra,
Non dextra, atq; feroce animo, & patiente pericli,
Provenit ulla salus. Vana est fiducia in illis.
Ps. 44 7. Cuncta Dei auctoris pro munere laurus habenda,
Cuius ad arbitrium pax, atq; duella geruntur.
Ps. 37 5. & 55.24. & 91. 7. Cum domino huic vitam, rem, spem, decus, atq; salutem,
Ceu monuit David venerando dogmate, credas,
Illius in bellice vivida dextra tumultu,
Terrificisq́; nimis etiam inter mille cadentes
Protegat auxilio, & necis unguibus eximat atris.
Certa salus rerum te cassibus insidiantum
Eripiat Deus, atq; opera ad maiora reservet.
Sævus Iber tumidas erexit ad æthera cristas,
Dum scelerato in nos desævijt ense misellos:
Nunc alias vires, conversaq́; bella tremiscat.
Ies. 33.1. Latè alios ferro populatus, & igne penates,
Hauriat vltrices divini numinis iras,
Ceu populatores Solymæ haut impune tulerunt
Quas dederant strages quas abstulerantq; rapinas.
Sed tua cęlitibus domus augmina sentiat æquis,
1. Sam. 2. v. 30. Inque dies vestris virtutibus addat honores
Imperiorum auctor, quem debito honore celebras.

De

De Illustrissimi fortissimiq; Principis Domini Mauritij Victoria panegyris.

SÆVIOR Albanus Siculis, Pharijsq; tyrannis,
Sanguinis humani sitibundum guttur amictu
Sanguineo expandit: cuius vestigia lambens
Albertus modo (ne furiata mente latescat
Vbere dirarum rabies exsucta sororum
Phocaico induitur saturatam murice vestem,
Temporaq; (in Latio quia ius vetus albogaleri
Desijt) ostrino iactat radiata galero.
Purpureus pater est: se ostroq; & sanguine totum
Purpurat: vt tigres nunquam posuere furorem,
Quas matrum Armenijs in vallibus antra secutas
Cæsa cruore suo teneras armenta cibarunt.
Sic cruor Alberti semel atq; iterum ore receptus
Sanguine pollutas vetat exarescere fauces.
Instruit in Belgas florentes ære phalanges:
Amplexasq; Dei sacra dogmata territat vrbes.
Scilicet his armis penetravit in æthera Petrus,
Sic hominum regem decoravit purpura Christum
Cum sua membra ægrè traxit rubefacta flagellis.
Sic caput effulsit Gætulo murice tinctum,
Cum strophium e spinis id dilaniavit acutis.
In capulos Albæ desęvijt ille tyrannus,
Et scelerum crucibus pia colla refossa ligavit:
Albanum hic docilis scelerum vicisse magistrum
Ferreo inauditum cruciatum pectore finxit.
Defodit in terram primævo flore puellas,
Quas amor invictus fidei & pietatis honestat.
Innocuis Belgis truculentum intendere lethum
Cogitat, & multos tristi delere ruina.
Hanc operam, hunc regi dat, pontificiq; laborem.
Hæc opera, atq; hę sunt generosi Principis artes.
Non radij solis, neq; lucida tela diei
Eruerint tanta mentem caligine mersam.
Avius a vera longè ratione vagatur,
Quod putat humano placari sanguine divos:
Cum sit in aspectu domini pretiosa piorum *Psal. 116.*
Mors: lachrymasq; Deus suo in utre recondat eorum *15. & 56. 9*
Ex Aganippæa refer huc mea pieris unda,
Vt doceam, quo tanta lues eruperit ortu.
Innumeris Erebi regnatur Iberia monstris.

 Est

Est ibi prodigium cunctis immanius hydris,
Acrius harpyis, rapidis violentius vndis.
Tartareas superat dira feritate Megęras:
Lethiferaq; canes indagine vincit odoros.
Est ubicumq; fides in rerum certa parentem,
Luctificis illuc horrendum assibilat hydris.
Gorgoneis illi mens est medicata venenis.
Evomit ætnæos truculentis faucibus ignes.
Est oculos torvos suffectum sanguine & igni.
Non adeo flammis fuit unquam armata Chymæra.
Non ita Cephissus legitur spumasse veneno.
Non itidem sulphur nociturum eructat avernus
Christicolas odit, catamidiat, ignibus urit:
In mare præcipitat, crucibusq;, atq; ense trucidat.
Mille nocendi artes scelerato pectori inhærent.
Cum propria antehabeat sacris commenta statutis,
Non igitur cęsi consanguinitate propinqui:
Non coniux, non ipse parens, non pignora cæsa
Sufficiunt odijs. A stirpe recidere cunctos,
Qui solidam in Christo spem deposuere, laborat.
Monstrum horrendum ingens, quo non deformius ullum
Sacra (quod antiphrasi licet) inquisitio fertur.
Sicut apes Cythiso gaudent, & fronde capellæ
Cannaq; limosas adamat fruticosa paludes:
Vtq; lupi rapidi carne exhilarantur ovilla.
Sic cruor hoc monstrum diffusus vbiq; locorum
afficit, & semper tamen arida guttura durant.
Orbe sub Hesperio residens infestat Eoas
Arctoasq; plagas, atq; vnde nigerrimus Auster
Nascitur, & spirant vehementi turbine Caucri.
Omnia timatur: domicilia tuta penates
Non habitant alio procul hinc sub sole reposti.
Hæc furia Albertum superas ad luminis oras
Sublatum gremio suscepit, & vbere fotum
Tigridis Hircanæ furialibus imbuit ausis.
Edidicit tali sensus nutrice minaces:
Iamq; avet in Belgas irarum effundere habenas,
Sed Deus ætherea miseratus ab arce misellos
Obijce divini clypei scelerata retundit
Consilia, & regum decreta ferocia frangit
Hesperia tota scelerum, Martisq; ministros
Cogat, & ex Erebo vocet agmina sæva sororum.
Ceu varijs gyris se versat in omnia serpens
Haut secus Albertus sinuosa volumina fraudum

Catamidiare usurpat Spart. a Gracis vocē mutuatus.

Explicet in Belgas, sceleris nil linquit inausum,
Nil intentatum: sint effera crimina cordi.
Omnia tuta ratus læta cervice triumphet.
Iam magis in nostras conjuret Iberia cędes:
Quæ scelerum allectat, fovet, auget, alitq; ministros.
Nil poterint in nos lethalibus agmina telis
Freta Deo adverso, qui stratos clade tyrannos
Debita ad immanes Erebi detrudit hyatus.
Terrifici reges illic posuere furorem. *Ezech. 32. v 21 & sequentibus.*
Ille sator rerum valida virtute superbos
Deijcit Alberti fastus. Deus ille vigorem
Mauritio infundit, viresq; ad bella ministrat,
Ergo ducis nostri succedunt bella secundis
Alitibus, faustumq; datur successibus omen.
Mauricij ductu, velut icta securibus ilex
Corruit ultrici gladio tremefactus Iberus,
Iam diu alescendi supremum nacta cacumen
Porrò minutatim deperdit Iberia florem:
Et veluti mœret viduata monedula plumis,
Conqueritur Belgas subducere colla furori,
Inq; dies multos gaudere tyrannide ademta,
Cum rigidis armis Turnoutia rura replerat *Pugna Turnoutiana.*
Trux Iber, ut brumæ glacialis congrua nactus
Tempora, confines popularet atrociter agros:
Vndiq; ab hybernis excivit fortia bello
Pectora Mauritius, simulatq; exercitus vndas
Attigerat Mervæ, rapuit sub nocte silenti
Impiger, & flabris pernicior agmina ductor,
Vicinosq; minax hosti contendit in agros.
Hostis ut ex flamis accensis tempore duro
Nassavias turmas cognorat adesse propinquas,
Plurima dura suo timefacto in corde putavit.
Ante tubam attonitos animos timor anxius ursit.
Mox ubi puniceum Pallantias æthera curru
Lucifero intraret, trepidantia castra parato
Dux animo invasit, faciliq; hortamine miles
Ductus ut in prædam ruit, & devicit Iberûm
Cædibus ante feras mentes, animosq; tumentes.
Non refero quantas Turnouti impune per agros
Ediderit strages, quot funera miserit orco.
Abripuit sese versis equitatus habenis,
Exitio turmis aliquot post terga relictis.
Sed celerare fugam, fatisq; instantibus ulla
Eripere arte pedes nusquam potuere catervas

Non fuit ulla fides, non agminis ordo. Quid? ipsa
Arma fuere oneri: fuga præsidio, atq; saluti,
Ergo pavens miles projecit inutile ferrum,
Cum seges armorum circum undiq; fusa micabat,
Cum via per nostras alas rumpenda fuisset
Ante oculos errabat ineluctabile fatum.
Mauritius fuso hoste, omni iam plebe reversus
Altior hostiles suspendit in arce maniplos
Sueton. in Cæs. Cap. 38 Verborumq; trium meruit cum Cęsare titlum
Iureq; iam veni, vidi, vici, inquiat hostem.
Hoc animo, & lingua ductori gratulor unum,
Damna quod Hulsteni data multo sanguine Iberum
Tempore tam parvo felix sine clade suorum
Fortiter ablatis sarcivit ab hoste tropæis.
Nunc etiam captas dicam obsidionibus vrbes.
De Berca. Vltra Wesaliam, cui quondam nomen Alisso
Inditum: vbi Rheni se Lupia condit in undas,
Per Philipp. Naß. Westphaliam contra Variana clade celebrem,
(Heu regio augurijs quondam culcata sinistris)
Hic per utrumq; latus Rhenum tenuere minacem
Hesperiæ Harpyæ quo non sine clade viarum
Horribili egerunt longè lateq; rapinas.
Effera Barbaries, lucriq; cupido carinas
Sub iuga rhenanus in itu, redituq; coegit.
Ergo flagellarunt portoria magna phaselos:
Atq; catenato gemuit Germania Rheno
Non ita cum Batavum Civilem Hordeonius hostem
Tac. Histo. lib. 4. Fecerat, hanc Italis domuit legionibus undam:
Mauricius claro Civile beatior illo,
Qui Latias turmas varijs insultibus ursit:
Sed vetera ad Rhenum perfringere castra nequivit.
Fluminis hic nondum plane trans cornua victor
Vasit in hostiles rivis bullantibus agros.
Alpenum & propugnaculum Camilleum. Quid memorem Alpeni muros, arcemq; subactam,
Atq; Camilleos vallos, quibus Italus auctor
Sævierat solo armorum terrore relictos?
Clarior est fama, & Rheno prętexta bisulco
Vrbs Vbij iuris merito dat Betula nomen,
Tot fuit in nautas, aliosq; accincta flagellis
Hanc inopinato petijt Nassavius vrbem
Impetu, & obsidio quo cingeret undiq; clausam,
Sublicijs Rheni constravit pontibus undas:
Quaq; iacet tellus circundedit aggere firmo.
Tormenta aërijs admovit ahenea muris:

Conci-

Concitaq; insonuit inurali Machina pulsu
Non dedit hic clausis vibrata phalarica damnum:
Sed dubios propter nutantia valla cuniclos
(Cum terræ effossæ nostri per aperta subirent
Pulvere nitrato rupturi obstacula Martis)
Implerunt strepitu subitisq; pavoribus vrbem.
Ipse gubernator, cum vidit adesse propinquum
Tempus, in extremos quo mitteret omnia casus,
Extremum ferri metuens opus ore gelato
Diriguit: nec spes erat ulla superstes in armis.
Deditione igitur veniam, pactusq; salutem
Nassavio miles citò pręsidiarius vrbem
Transdidit: & toto deiectus littore Rheni
Turpiter ad Geldrum contermina rura cucurrit
Deinde paludosæ tentata palatia Mursæ. *Mursa.*
Illa vt opes fractæ, & fortuna recesserat, armis.
Milite diffiso: nec subsidia ulla venirent,
Mauricij optato decore accessere tropæis.
Non procul hæc Menapis pacati gloria Rheni
Fluminis ad primam vulgabiter vsq; scatebram.
Interea Ambiani, quos Nervij, & Ambibaretti, *De Ambianis*
Et Morini tangunt: fracti obsidionibus arctis.
Quandoquidem vis, & quoq; frugibus atra negatis
Vrgebat, trepidamq; fames obsederat vrbem.
Pileo ab ostrino, velut vno sidere in vndis
Accipitis belli, ventura levamina rerum
Sperabant: sed spes abierunt irritæ in auras.
Namq; aditus omnes longa statione tenebat,
Atq; coronabat firmo custode Navarrus.
Aggeribus septos proni & fluvialibus vndis
Non potuit summis perrumpere viribus ingens
Auxilium Alberti, nequijt reperire sub ulla
Parte viam ad muros portas obsederat omnes
Rex vigilum excubijs, ne quando erumpere clausi,
Atq; aperire viam socijs ad mœnia possent.
Emminuit castris cum vis inimica Navarri,
Elatis animis Hispanus, & Italus omnem
Accessum indagans, huc ora ferebat, & illuc:
Dentibus infrendens, aditumq; per avia quærens,
Nil intentatum scelerisq; doliq; reliquit.
Ceu lupus impactus, cum adigit penuria edendi,
Affremit ad caulas pleno insidiatus ovili.
Haut secus Hispano dolor ossibus arsit in imis:
Qua ratione ferox rescindere castra valeret.

 Sic

Sic vbi se Gallis Iber arduus intulit oris,
Regi animus contra non defuit acer in armis.
Castra fovere modo & nulli se credere campo
Turpe ratus (siquidem permitteret omnia fatis)
Armigeras armis circundatus ipse phalanges
Intrepido vultu, dictisq; accendit in hostem,
Obviaq; arma tulit. Deus in certamine tanto
Suffecit Gallis animos, viresq; secundas:
Immisitq; fugam Hispanis, atrumq; timorem.
Terram ibi non pauci tutuderunt calcibus atram,
Pulvereq; in Gallo iacuere extrema gementes.
Iam saturant volucres, Phrudemq; cadavera opimant.
Sic Iber hostiles ibi vestijt ossibus agros,
Inq; potestatem rex mœnia clausa redegit.
Hæc vbi complevit prænuncia Martis iniqui
Fama Ducem, coijt gelida formidine sanguis:
Et magis ad tutas se contulit ocyus oras.
Non tamen aufugit pudor illius ora colorans.
Iam quid agam, inquiat, aut quæ iam satis ima dehiscat
Terra mihi? abripiat me purgatorius ignis,
Quo neq; me Galli, neq; conscia fama sequatur.
Namq; sacros illos, quos invidet hostibus, ignes
Occulit, & proprios sibi papa, suisq; dicavit.
MAVRITIVS Rheni præclarus adorea ab æquo
Numine concessa, benè gesti prospera belli
Non choreæ, aut Bacchi corrupit deside luxu.
Non ita regificis, cum spe dubia obsidet vrbes,
Delitijs illi tentoria larga redundant.
Est alacer miles, dux est acerrimus armis.
Eius in audaces manant exempla ministros.
Sic habet: armatas non sic inflectere dextras,
Dicta, minasve, truces, quam pulchra exempla regentum:
Vtq; ducum lituis, sic moribus arma cieri.
Ergo eques in medias equitum se conserit alas:
Et pedes assistit pediti, non flantibus Austris,
Nec pluvijs cedit, prębetq; exempla laboris,
Grolleum. Hostibus ad Rhenum celeri certamine victis,
Clivenses Absq; mora Vsipijs, simul a tergoq; Sycambris
&c. Contiguas terras, boreali parte Chamauis
Sevenvvou- Contudit obiectas: ubi Tencterus, atq; Tubantes.
di. Visus ab Vsipijs, fatis melioribus usus,
Agmina Grolleis impingere fortia muris.
Mœnia suffodit, tacitum per operta locorum,
Quem natura negat, quæsivit ab arte meatum:

Fulmineasq; pilas, quibus oppida pulsa labascunt,
Ignivomi contra muros fudere colubri.
Hic etiam miles circundedit vndiq; muros
Igne vaporifero, flamata phalarica primo
Parva metu incubuit tectis: mox plurima vento
Canterios, anabathra, trabesq; invasit adesas.
Tum trepidare metu obsessi, frustraq; malorum
Velle fugam, & rebus sperare levamen egenis.
Terra fugæ deerat: deeratq; potentia quondam
Illa minax. Firmo namq; obijce clausa tenebat
Omnia Mauricius: cui Rhenus obœdijt undis.
Non poterant crebros restinguere fontibus ignes:
Iamq; videbatur strato succedere vallo
Omnia suffundens mortis nigredine miles.
Ergo, velut cervus canibus circundatus horret,
Et pueri in tenebris trepidant, pavitantq; manias,
Attenti hęserunt, tremuitq; fragoribus vnda
Turbida Berkellæ. Tum rem, vitamq; pacisci
Ipsa fides ducis, & clementia nota süasit
Mauricij dura sic obsidione subactis.
Imposuit muris victricem gloria plantam.
More suo a victis sitientia tela cruorem
Abstinuit: iussumq; hostem desistere bello
Non diu, inoffensum stitit alto littore Rheni.
Non ita dux Albę, cui inexsaturabile cædis
Pectus erat, siccum vagina condidit ensem:
Namq; animus meminisse horret quot stragis acervos
Harlemi ediderit, capita a cervice recidens,
Et fluvijs mersans insuetam piscibus escam.
Hæc loca Mauricij sua colla dedere triumpho,
Cum pluvia Autumni stagnarent imbre paludes:
Acturusq; sui non infima stella Bootæ
Orta recens castris illuxerat omine fausto.
Non valla, aut fluvij, neq; propugnacula multis
Ædificata annis poterant obsistere nostris.
Mauriciana tamen Brefortius agmina miles
Ludificans animas in aperta pericula misit: *Brefortium &c.*
Quas scelerum in mortem pene immersere propinquam,
Defuit illi animus fati præsagus iniqui.
Dux belli iratus propter convitia, secum,
Tempus erit, dixit, magno cum optaverit atrox
Ludibrium omissum, serò sua probra perosus.
Sumam lethiferas inimico a sanguine pœnas.
Omnibus ergo locis quà terra cingitur, & quà

Torrente, ipſe manu metuendus adeſſe ſuoſq́;
Acribus inclauſum ſuccendere vocibus hoſtem.
Non tamen obſeſsis audax fiducia ceſsit
Obijcibus portas firmare, capeſſere turres,
Excubias agere, & telorum effundere contra
Omne genus: ſummis defendere viribus vrbem
Omnibus ardor erat, ſed robur & alma poteſtas
Defuit inſtantes noſtros, lethumq́; ferentes
Suſtentare diu telis, & ſiſtere vallis.
Nil veriti noſtri gladios, nec ſaxa, nec ignes,
Præcipitare moras, plauſtriſq́; gementibus ornos
Iliciaſq́; trabes vectare: per ipſa paludum
Stagna parare viam, ſimul vndiq́; fundere glandes,
Certatim ad muros ruere, atq́; revellere vallum.
Sic quamcumq́; viam dederant cita fata ſecutus
Horriſono fremitu miles perrumpit in vrbem.
Nec tamen ingenti maduerunt ſanguine muri
Nec fuit in cives exorta miſerrima cædes.
Diripuit victor vi captam exercitus vrbem:
Non tamen accenſis incendia miſcuit iris.
Vrbs male ſervatis facibus conſedit in ignes,
Totaq́; procubuit quaſi ſedibus eruta ab imis
Civibus hoc captis fuit illætabile murmur,
Nec volupe Heroi noſtro ſubijſse ruinas.
Vrbe expugnata profugerat hoſtis in arcem.
Sed fortuna calens, & qui ſolet omnia terror,
Conficere, actutum reſeravit ferrea clauſtra.
Sanguinis inviſi hic iterum conceſſa poteſtas
Mauricio in victos non eſt exercita pœnis.
Dum refero has laurus, mihi non indicta manebit
Enſcheda, Gora, Othomartia, & Oldenzillia, quarum
Præſidium ante audax ditem expilare colonum:
Atq́; inopis vulgi ſcelerare mapalia ſpurcis
Flagitijs, que vix effingere ſomnia poſſent.
Aſt ubi Mauricij circumſona prælia miles
Acer in abſentes: linguæ iactator abundans:
Attonitus fatis, vicinorumq́; ruinis
Auribus atq́; oculis hauſit: tum frigida bello
Dextera diriguit, tum ſpiritus ille minutus,
Qui venere infanda, qui cædibus atq́; rapinis
Dirorum ſcelerum maleſuadum fecerat uſum,
Quorum horrere ſolet melior contagia mundus.
Pars trepidi (ſervat multos fortuna nocentes)
Iam rati adeſſe ſuis condigna piacula faſtis,

Indo-

Indoluêre animas in fata relinquere caras.
Ocyus ergo fugam solita ex statione dederunt.
Est homini interdum data mens præsaga malorum.
Pars minus attoniti, ne tantum dedecus in se
Susciperent, clausis tardarunt mœnibus hostem.
Sed fore thęc belli prædura quod alea, certi:
Deditione cita sibi quæsivere salutem.
Nec gemuit tantis viduata latronibus ora.
Si qua fides priscis: ceu nocte timetur ovili, *Servius in Virg. III. Georg. 409. ait Hispanos fere omnes esse abactores.*
Et pecori in campis fur, incursusq; luporum:
Sic Iber vsq; fuit quoq; formidatus abactor.
Turba gravis paci, placidæq; inimica quieti est.
Sunt scelera ei iocus vt spolijs potiatur opimis,
Ad procul avulsos, alioq; sub orbe iacentes
Et populos: nullo quos iure trucidat inermes,
Vt segetes medio sternuntur falcibus æstu.
Ergo metalliferam per naufraga saxa perudam
Atq; alios dites gemmis, & adoribus Indos
Navibus accedens rapit asper, & improbus aurum.
Mauricius tamen hic veniam adstipulatus Ibero,
More suo nulli, quo vellet abire, negavit.
Interea duo, quos pretio corruperat hostis,
Proditione parans, quod aperto Marte nequibat,
Flagitiorum Hagæ solverunt sanguine pœnas,
Non tamen (est Procerum clementia maior) adactis, *Livius de Metio suffetio.*
Ceu Metius quondam, tracti in diversa quadrigis.
Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.
Sic procul Alberto frustra ringente tropæis
Mauricius supra Bronchorstum insignijt agros,
Inq; suam fortem munitas transtulit vrbes. *Lingeum.*
Longius hinc turmis equitum, peditumq; catervis
Vrbem, arcemq; supra Benthemia rura petivit.
Est ibi Lingeum, & nota arx cognominis vrbi:
Quam prope decurrens, post Cimbrica Thetis ad Embdam
Amisij flumen, boreali devorat vnda.
Arx opere humano, & natura, & sede locorum
Finitimis alijs magis arcibus undiq; firma.
Nec minus huic, cui erat custodia credita, miles
Ante diu obsidium (loca dum propiora cohortes
Distinuere) intus remoras detersit, & extra.
Mœnia vallarat crescentis imagine lunæ,
Ne foret arx nostris quassabilis alta colubris.
Munierat fossis quoq; inexsuperabile vallum
Adversum armigeros aspratum robore nostros,

Scandere ne schalis, aut ferro exscindere possent.
Huic ita munitæ, quasi murus aheneus esset,
Nec gelu hyperboreum, nec Etesia flabra moratus
Eidibus Octobris, cum Cynthia lumine pleno
Auricomo Phœbo ex diametro obiecta refulsit,
Mauritius solita prætexuit arte coronas.
Sed, quorum valido sternuntur mœnia ab ictu,
Sublimesq; ruunt vastis cum turribus arces,
Non potuit subito tormenta impingere muris
Ænea, tardatus torrente, palude lacunis,
Et varijs stagnis, interq; capedine tractus.
Haut proin actutum, velut ante subegerat hostem,
Obsidione nova tremefecit, & exscidit urbem,
Maxima cura ducis fuit hostem avertere castris,
Et vigilum excubijs omnes obsidere muros:
Vt noctuq; diuq; hostes compelleret intra
Mœnia se clausis trepido defendere portis.
Pars inimica suos etiam partita labores,
Excubuitq; vigil sortita pericula muris.
Nec modo cunctati vallis, & mœnibus hostem.
Servarunt alij tutos firmo aggere muros,
Et vicibus pactis tenuit custodia portas.
Ast alij, quibus haut placida contenta quiete
Mens fuit, in nostros animos audacibus ausi
Irruere, & dono defensi noctis opacæ
Forte aliquot clades inopina fraude dederunt.
Ast ubi per longos tormenta advecta mæandros
Horrifico crebros ictus fudere tumultu,
Mauriciusq; omnes vires conuertit in arcem,
Haut mora: fracti animis sua non impune tulerunt
Furta quibus freti convellere castra solebant.
Non diu Iberorum vernas circumflua rivo
Mœnia texerunt, nec valla minantia quicquam
In cœlum adversum potuerunt sistere Martem.
Mauricius voti compos felicibus armis
Ingentes vallos, atq; ardua mœnia rupit:
Et prius elati fera pectora contudit hostis,
Imposuitq; suis faustum colophona tropæis.
Sic ea Nassavijs venit provincia virgis.
A trifido Rheno nunc institor vsq; Visurgim;
Perq; Vbios, Cattos, & inhospita tesqua Viadrum,
Nactus iter tutum, & compendia læta viarum,
In nova centenas aptans præconia voces
Nassavius grato celebravit pectore laurus

Fama

Fama hæc nigrantes succincta pavoribus alas
Perculit Alberti trepidis rumoribus aulam,
Sistere quæ nequit variantia sibila vulgi:
Purpureusq; pater sua corda gelascere sensit,
Palloremq; suas pro murice tingere malas.
Haut dubiè Albertus tremefactus murmure tanto
Sidoniam iratus maculavit calce tiaram.
Si lubet hæc rapiat duri solatia casus,
Quod docet eventus rerum sine fraude magister,
Pontificem frustra Petreia in Thybridis undam
Clave manu obiecta sibi Pauli optasse machæram.
Scilicet his armis avertere dæmonis astum
Possumus, & vitæ delicta piare sceleste.
Si velit Albertus Dei in æde minister haberi,
Depositis armis Tyrium pro clave galerum
Ponat, ut indaget quæ munia Petrus obivit.
Ambibarettani dum regni inhiavit ad vmbram,
Excidit hæc cœnæ de faucibus esca dapalis.
Gloria vana lupum, & coruum delusit hiantem.
Ne tamen Albertum nimis anxius exedat angor,
Iam canat ęternam requiem, inferijsq; parentet,
Vrbibus amissis feralia dona rependens.
Haut procul hinc fusis legionibus ense Cherusco Suet. de Aug. 23.
Territus Augustus barba, intonsoq; capillo
Allisit caput ad propylæa: diemq; malorum
Mœstum habuit cunctis, dum vita superfuit, annis.
Quid iam aget Albertus, cui raso in vertice mentum
Vix fruticante pilo sine veste novacula glabrat,
Ne qua sub Ostrino vellatur barba galero? Ad. vellere barbam.
Dum queritur palmam cum Cæsare mæstus ademtam,
Instituat multos funebria murmura in annos.
Si furit indomitum velut ocymon ederit herbam,
Non opus anticyris bilem purgare meracis:
Non opus vt grandi mercede Machaona quærat,
Vt modo Pæonio medicetur gramine vulnus.
Stant prope ab Hispanis effusi san guinis urnæ: Adag. Squillas e sepulchro.
Nec cyclaminus abest. Edere hunc, & vellere squillas
Inde potest sapido mentem loturus aceto.
Hic memorem quantum distet Nassavus Ibero.
Non ita ab arctois mare nos discriminat oris,
Nec Tagus auristuis a Tigride discrepat vndis
Vt decus a sævo disterminat hoste regentem.
Hunc proles antiqua, fides, clementia, virtus,
Cumq; fides pietas, superisq; Astræa relictis,

Et comes Astrææ decoravit copia plenis
Cornibus, ut claram sustollat in ęthera frontem.
Ast apud Hispanum regnis nunc exul ademtis
Ipse pudor squalet prisco viduatus honore.
Mauricius vivos non impia vota precatos
Prosequitur venia: nec sęvit in æthere cassos.
Ast Iber exanimos, & Martis sorte peremtos
Aut alio fato viduos cœlestibus auris
Proterit, & rabiem suam in ossa retentat, & urnas
Sub pedibus leges, & libera iura parentum,
Collaq; nobilium, vulgiq; premuntur Ibero.
Innocui populi carcer squalore repletur.
In se iura ferox hostis communia transfert.
Mauricio contra leges victore resumunt
Canitiem priscam, sua priusq; legia cives.
Mœstus ab Hispano patria detruditur exul:
Atq; novis tabulis inscriptos hasta penates
Venditat emtori scelerato voce citato.
Oppida vastat Iber, vastat cultoribus agros:
Sævitiam spirat, lucriq; cupidine flagrat:
Cæde madere solet, converrat vt undiq; prædas.
Ast Patria excussis, pelagiq; extrema secutis
Mauricius victor patria arva revisere suadens,
Reddit opes ultrò violenta iniuria ademtas.
Tum proceres, clarisq; a stirpe parentibus orti,
Squalore, & tenebris, ignominiaq; remotis
Pro generis, vitæq; statu novo honore virescunt.
Pace, bonisq; vigent ditatæ civibus vrbes.
Arva inarata diu tuto renovantur aratro,
Frugibus humanum stipentur ut horrea in usum.
Non cupit ut crescant aliorum æraria damnis
Aulica, maiori quia res est publica curæ.
Non sua, sed belgum, lucri, propriæq; salutis
Immemor, ultrici bello emolumenta reposcit.
Non sibi Tantalicum, Pelopisve, Midæve metallum,
Quæve Tagi, aut Gangis rudibus stillantia venis
Stagna vomunt, optat: sed largior imbre tonantis
Indulto rodijs noster dux optimus armis
Irrigat innumeras hominum ditatq; catervas.
Illius hoc bello pia munificentia vincit
Auriferos amnes, Lydumq;, Phrygemq; tyrannos
Cum Iosua populis subita virtute renatis
Diruit idolωn cultus, legemq; reducit,
Quæ potior gemmis, auroq;, quod effluit Hermus:

Quodq;

Quodq; legit diues summis Arimaspus arenis.
Et coquit eximio Colophonius igne caminus.
Mavricivs procerum non infima gloria Belgî
Clara tropæa refert, sed nulla tyrannis adeptas
Spurcat sæuitia, lucriue cupidine palmas.
Ponit auaritię sua fręna, modumq; furori.
Non nimium victis, veniamue precantibus instat.
Re quoniam arctata presis audacia crescit: *Veg. cap. 25.*
Cumq; spei nihil est, metus arma resumere suadet.
Cum fuga deest omnis, redit in præcordia virtus:
Sollicitusq; angor mutatus robore cedit. *Curt. VI.*
Fit via vi: rumpunt áditus virtute negatos.
Vna salus victis, nullam sperare salutem; *Virg. II. æn.*
Hinc nouus accrescit furiatis mentibus ardor.
Sæpe salus peperit sibi desperata salutem
Ergo Themistocles Xerxem intercludere Græcos *Iust. II.*
Noluit obstructam ne ferro aperiret Abydon.
Pyrrhus ait: ne quid nimis hostica terga premantur, *Front. II.*
Ne renouent pugnas ex rerum angustia adacti: *Cap. VI.*
Vtq; magis faciles aliàs certamine cedant.
Victus in arma potest, rursumq; in fata redire.
Scipio, qua fugiant, docuit munire plateam. *Veget. III. Cap. 21.*
Talia Mauricius belli pręcepta secutus
Tempore tam paruo sine multo sanguine trina
Oppida cis Rhenum cum propugnaculo adeptus;
Pacato a Rheno duplices procul usq; Caycos
Hostibus expulsis facili conamine ferri,
Alloquijsq; pijs urbes, arcesq; superbas
Vicit, & e tenebris sine strage reduxit avernis.
In duce tam claro vis, an clementia maior
Ambiguum: sed laus est indubitata ferocem
Marte domare hostem, & vibrato parcere ferro:
Iam semel accensa est docilis mitescere virtus:
Iam didicit certas sibi Mars imponere leges.
Mauricij toties Bellona probauit in armis
Robur: & ipsa Fides Deo pœnæ, artisq; pelasgæ
Experta est vacuum candorem. Pacta benignè
Hostibus observat, quę sunt commercia belli.
Impete vulturnos vincit: candore pruinas.
Non spatio terræ, non imbro geluue, nec alto
Aggere murorum, non torrentum, atq; paludum
Obijce, non fluvijs, non fraude, nec acribus armis
Fracta quasi duris hæsit victoria nodis.
Omnia perrupit vis, & clementia victrix.

 Impletis

Impletis valido tyrone cohortibus audax
Numine propitio casus spondere secundos,
Has subito in terras abeunte æstate profectus,
Ante Hiemem fortes hostes, urbesq; subegit.
Κλαυδιανός. Claudianus, musis augentibus omnia, prodit,
Quod domuit Stilico sola formidine Rhenum:
Vsq; adeò, vt se eius placidam Germania frœnis
Præbuerit, vitamq;, & pacem supplice vultu
Orarint ultro reges seruire parati
Ante tubam. Sed quid Stiliconem impensius æqu
Laudibus extollit? demulserat ille potentum,
Quæ nequijt ferro contundere, pectora donis.
Tum requiem asſuerant fœda mercede paciſci
Apud Tacit. Sæpe venenavit Germanos Italus auro.
Iulius hoc Tutor non texit nube silenti.
Nec procul a vera nobis ratione repulsum
Ducē Cheruscorum. Augustum pretio sibi conciliasse Segesten.
Traiani. Vlpij in obsequio, sed non sine merce fuerunt.
Mauricius non argenti, neq; prodigus auri
Quas decuit terras veteris Germaniç adortus
Non grauibus donis, sed aperto Marte subegit:
Nec minus indulsit vitam, pacemq; precatis.
Cæsar. Non potuit tantum in Germanam Iuliusoram.
Suet. in Calig. Caius terriculum visus puerile Suëuis:
Eius inane ferox risit Germania fulmen.
Pro populo cecidit succisa bipennibus arbor.
Non igitur mulsis olim a Stilicone Cheruscis
Et Salijs nostri ducis inclyta gloria cedit.
Mauricij Zephyro, & pernicior impetus undis
Obscurat Latiòs insigni laude triumphos.
Tanta tropæa senes, iuvenes, puerìq; loquuntur:
Proditaq; ad seros transmittet fama nepotes.
Posteritas nostris annalibus insita credet.
Gloria MAVRICII non tam victura feretur,
Quod rabiem Hispanam iusso certamine frangit,
Quam quod ei est animus lenis, veniæq; paratus.
Vincit enim, vt victis parcat, rursumq; receptis
Nectat amicitijs, quicquid discordia soluit.
Ante macras urbes, longisq; erroribus actas
Tanquam pastor oues (quia verum ποιμένα λαῶν
Induit in bellis) ad patriæ ouile reductas
Rore nouo lactat, fouet, educat, atq; maritat.
Mox igitur positis odijs mansuescit; & illum
Ciuis amat victus: nec victor fronte subactum

Despicit

Despicit elata populum: nec inutile ferri
Presidium quærit, solo munitus amore.
Non ita, quas urbes expugnat Iberus, in eius
Eximium læta conspirant mente favorem.
Mauricij virtus, & mansuetudo salubris
Semper Iberorum tantum est præclarior ausis,
Quantum lux tenebris, manifestaq; gaudia luctu:
Pastoresq; lupis rabidis, materq; nouerca.
Mauricius nostræ spes, & tutela salutis,
Postq; Deum columen, quo nil acceptius vnquam
Hac erit in vita: sed Iber, cane peius, & angue
Omnibus invisum, & genus exsecrabile mundo,
Est laniena, dolor, metus, exscidiumq; piorum.
Ille Deum ex animo colit, & mandata facessit.
Ast Iber Idoli Latij figmenta tuetur,
Ingenioq; suo sacra convenientia adorat.
Asimile asimili placet. Ergo cicada cicadæ,
Accipitri accipiter; gratusq; homicida latroni est.
Papa Deus Latię novus ille Patulcius oræ — *Vide. Ouid. 1 Fast. de Iano Clusio, & Patulcio.*
Tristia bella fouet. Mars, & Bellona flagello
Sanguineo, & scissa gaudens discordia palla,
Tartareęq; illi famulantur ab ęthere Diræ.
Illius horrifico stipatur Curia cœtu.
Ad solium asistunt furiæ, turbantq; tumultu
Omnia, & vnanimes armant in prælia fratres.
Hæc amat Hispanus concordia regna perosus.
Ergo suo Iano fert rite Patulcio honorem.
Sed cadit in nostris meretrix Babylonia terris, — *Apocal. 17. 19. tum Roma fuit septicollis. Virg. 2. G. 545.*
Quę tenet excelsam septenis montibus vrbem.
Cornua regna decem sensim labefacta dehiscunt,
Thuricremasq; agnus vincit mactatus ad aras.
Optimus ille agnus, qui crimina nostra piavit,
Mauricium in causa meliore salutifer auxit;
Vt domitor Rheni Zutphenis, atq; Tubantum,
Tencaterûmq; trucem turbarit sedibus hostem, — *Florus vocat Tencteros Tencateros.*
Ante ter exactum quam Cynthia conderet orbem.
Hoc victore salus multis in opina reluxit:
Et refocillavit populos sub morte iacentes,
Tartareęq; necis rapuit de faucibus urbes.
Exhilarati igitur rediviva luce Chamaui,
Viciniq; pecus pascent: & rura colonus
Excolet: & syluas ferient impune secures:
Et placido somno languentia membra dabuntur.
Jam Batavi accedent solita sine clade Caycos:

Et proficiſcentur terra, pelagoq; Gedanum.
Solis ad exortum nemo explorabit eundas,
Vitandaſq; vias, quocunq; lucella vocabunt.
Semita ad Arctoos patet, Eouſq; receſſus.
Non modo ſqualeſcent populatibus oppida ſæuis,
Quę procul uſq; Thetim celer alluit Iſala Druſi:
Iam glaciale gelu Friſij, affineſq; videntes
Stringere ubiq; undas, hoſtilia nulla timebunt.
Mauricij auſpicio afflati meliore iuventa
Incipient iterum populis undare penates,
Qui iacuere diu tanquam ſpelæa latronum.
Ceu Zephyris flores verni melioribus halant:
Sic quoq; florebunt priſcis mercatibus urbes:
Tutus ad Anſuarias deſcendet Bructerus undas.
Latius ad Rhenum quoq; mercatura vigeſcet,
Inq; dies cernet mercator aleſcere ciues.
Hic vigor, hęc nova lux ſeſe diffundet in agros
Finitimos. Grates modò Weſtphalus, atq; Sycamber
Vexati toties ab Ibero milite, debent
Mauricio. Vivus redit en calor vrbibus agris.
Tempora ijs priſcum redijſſe videntur in aurum.
Caucaſeæ volucres, Harpyiæ Ixionis angues,
Iſtmiacæ pinus, rupes, Buſiridis aræ,
Verbera carnifices procul hinc abiêre fugati,
Feſſaq; Cimmerio gens ex ſqualore reſurgit.
Sed tamen, ut nihil eſt ex omni parte beatum,
Oppida Mennapium Moſæ prætenta flagellans
Cis Rhenum Hiſpanus premit, expopulatq; colonos.
Has etiam terras tranquilla in ſede locaſſet
Mauricius, ſed hiems aquilonibus aſpra negavit
Hac vice Moſeis prętextas fluctibus oras.
Marte, metuq; brevi (verum mens auguret opto)
Mennapijs pulſus ſua terga oſtendet Iberus:
Nautaq; carbones, ferriq;, ęriſq; metallum
Advehet Hollandis Eburonum impune fodinis.
Hoc iubare exorto, lux ipſa ſerenior ibit
Durdretho: cui iam ductu, auſpicioq; ſecundo
Mauricij longè famulantur litora Rheni.
Sub Iove quod gelido, nive, cum telluſq; pruinis
Albicat, armipotens dux enervare cohortes
Abnegat, vt ſalvas magis ad meliora reſeruet
Tempora; & inſtauret (dum reſpirare parumper
Corda ſinit defeſſa) novum per membra vigorem.
Laus ea magnanimo, & prudenti principe digna eſt:

Cui

Cui leuis est nunquam fusi jactura cruoris.
Quod nimium, supraq; modum laudabile non est.
Cum patriæ refert, & commoda publica suadent,
Non illum æstiuis torrentia sidera flamis,
Schythoniæue niues stridenti Aquilone tenebunt.
Pro patria, atq; focis, pro relligione tuenda,
Nulla pericla negat tolerare: paratus in omnem
Est animo casum: & (quod maxime adurit liberum)
Haut rerum arctarum sub tempestate labascit.
Illius ingenium, velut ænea turris in hostem,
Non cadit horrendis latrantibus undiq; bellis:
Auctoremq; Deum quia mens hominemq; caducum
Cogitat, haut lætis successibus aucta superbit.
Sat diu in Autumno manabile frigus, & Austros
Imbriferos passus sub papilionibus egit.
Sat patriæ hac vice post rabiosi tempora signi
Consilio, dextraq; datum. Famosior orbi
MAVRICII gestis initurus ut exeat annus:
Hebdomadasq; omnes mea candidiore lapillo
Musa notet: domini non immemor addere laudes:
Hoc præcor, hoc unum diuino a numine posco.
Cui soli a nobis accepta tropæa feruntur.
Dum fauor illius coitas in fœdera terras
Fulciet, obniti, contraq; obtendere vela
Nec furor Hispani, nec inexsaturabile Papæ
Sufficiet diris armatum fulmen auernis. *Fas. i. possibile. Mur. in Hor.*
Non alicui fas est stimulos obtundere plantis.
Sæpe Deus regum furialibus obstitit iris.
Iam mihi Calliope, iam suggerat ipsus Apollo,
Principe tam forti quę præmia digna dabuntur.
In veterum castris qui ciuem ingentibus ausis
Hostibus ereptum potuit subducere letho
Is caput æsculea redimiri fronde merebat.
Qui potuit vallos, aut mœnia scandere primus,
Splenduit aurata prisco de more corona.
Ambijt inscensis alios rostrata carinis.
Ast modò pro multis vallis, murisq; subactis,
Inque novam lucem populis a morte reductis,
Quæ, cedo, MAVRICIO pensabunt facta coronę?
Quantum profuerit, quantasq; subegerit oras,
Nec muralis honos, nec civica panderit ilex.
Aura triumphalem: det oualem myrtus honorem.
Mœnibus hunc captis meruit sine stragibus: illum:
Cum tulit exuvias Turnoutio ab æquore raptas.

Dignus Erythreo cingi diademate crines,
Temporaq; ornari serto de floribus illis,
Quos nunquam Boreę penetrabile frigus adurit,
Nec torret Nepa, vel nocituro Sirius ęstu.
Sed Tyrijs Ostris, & veris honore comantes
Fons Aganippæus fovet, irrigat, educat undis.
Dignus, ut incedat rutulanti squameus auro,
Murice Gætulo medicatum indutus amictum.
Dignus laurigero curru, cunctisq; triumphi
Eximij pompis, ut equis conspectior albis
Exsatiet populi venerando lumina vultu:
Et fremat ad currum sollenni carmine miles.
Dignus apud Proceres solio considere eburno,
Debito ubi circum famulantum fusus honore
Emineat, stellas velut inter Luna minores.
Clarior effulget ceu Lucifer omnibus astris,
Luciferumq; anteit fulgoribus aurea Phœbe.
Inter honoratos sic dignus honore supremo
Ante duces alios virtutibus emicat auctus.
Seclusis igitur, patria expergiscere curis.
Pone metum: ne quid metuas cervicibus enses
Amplius Hispanos. Iam fracta potentia eorum.
Ille vetus terror, quo territus orbis hiavit
Effugit, ut fumus tenues dispersus in auras.
Depositis igitur, patria, expergiscere curis:
In noua millenis effundere gaudia votis,
Obviaq; Heroëm redeuntem ex Marte saluta.
Gratus adest oculis, gratus quoq; mentibus adsit
Assertor Frisiæ, Rheni pacator, & Islæ.
Pande tuas portas: obstacula tolle viarum;
Tolle fimeta, & odore novo perfunde plateas.
Florea serta para, venienti sparge coronas.
Thurea dona focis, & odores ure Sabęos:
Atriaq; Attalicis radiata tapetibus orna.
Ne tuus ille suos genius visusus honores.
Indoleat meritis non præmia digna rependi.
Tu modo plebs, merita cum dux tibi fronte decorus
Redditur ex bello, tibi vultus amabilis erret
Circum oculos, instar veris, florumq; rubentum,
Dum lachrimis alibi ploratur adorea veris.
Lingua, animoq; favens certatim plaude triumphi
Auspicium: & pressis solvantur gaudia habenis.
Spectandi studio liceat sprevisse pudorem.
Omnimodo Heroi manifestes gaudia gestu,

Inq; tuis animis pompa meliore triumphet.
Omnis ubiq; ætas reducem gavisa coronet
MAVRICIVM, atq; eius tollat super æthera lauros
Quæ feriunt altas, sublimi vertice stellas.
Quis premat Heroëm genuino dente? nequaquam
Livor in illius livescere laudibus ausit.
Triste rigor nimius; fuit ille benignus in hostem.
Cur igitur victi victoris honore gemiscant?
Non ita iactatis Autumna pleiade nauris
Aura secunda venit, non sic optatus hiulco
Æstibus imber agro, nec anhelis flumina cervis:
Vt ducis adspectus referentis ab hoste tropæum.
Ite procul curæ durum genus: ite dolores.
Harmodij cantus; Admeti nænia cedat.
Sisyphiæ moles; Belidum dolia cessent.
Nunc alias refuga saturetur Tantalus vnda.
Halcyonum solitis desistant ora querelis
Hinc procul omne malum, luctusq; facesset Osiri.
Supprimat afflictæ Niobes suspiria saxum:
Nec gemibunda fleat Progne sibi pignus ademtum.
Nubibus expulsis micet omnibus æthere puro
Lætificus Titan: genitabilis aura Favonî
Mitius aspiret, ludant stridentibus alis.
Dentq; hilaro cœtu modulamina in æthere cygni
Omnis ager, sylvæq; omnes, rursumq; loquentes
Chaonię eructent nova in illum cantica quercus:
Cunctaq; Mauricio nutans assibilet arbos.
Flumina mitescant, & desinat vnda minarum:
Squammigeri exsultent per stagna liquentia pisces.
Mauritium Rhenus, Mosa, & submissus adoret
Isala, ovent nautæ quibus albida stella refulcit.
Agricolæ, cives, fora, compita, templa sonoros
Ingeminent plausus, quibus excita terra tremiscat.
Gaudia patricio certent plebeia favori.
Huc aditum exsurgens totis Victoria pennis
Accelera palmis gaudens, & amicta tropæis.
Pande sacras ædes, & nostris annue votis,
Supplicibus votis, precibusq; inflectere nostris,
Vt tibi solennes magis instaurentur honores.
Mauricius victor tua limina sæpius ornet:
Teq; sibi addictam rediens in castra reducat.
Huic comitem te addas in bello, & pace faventem.
Dicamus bona verba. Deus Deus ille Deorum,
Arbitrio cuius Mavortia bella geruntur,

Iugiter a nobis celebretur pectore grato,
Quod duce Mauritio nostras illuminat oras
Hoste triumphato: quod & illius ubere cornu
Tot benefacta in nos votis maiora redundant.
Ille Deus requiem rebus, finemq; labori
Afferat, ut tandem civilia bella silescant,
Duraq; sedatis mitescant secula turbis.
Ille Deus mea lux, mea spes, mea sola voluptas
Hæc sua dona novis successibus aucta coronet,
Vt magis in nostro Massavius orbe coruscet:
Ast Iber in vanam paullatim defluat umbram.

Vrbium devictarum, & anni gnomen.

Alpenum, Bercam, Mursam, Grollamq; superbam,
Brefortum, Enscedios, Othomartiam, & Oldesileam:
Lingeum, vallosq; duos & quattuor arces
Ante, ter eXaCto qVaM CynthIa CLarVIt orbe,
NassaVIVs tenVIt VICtrICI prosper habena.

Melos ex meris Iambis.

APOLLO fautor, & repertor artium,
Iouisq; maximi, ingeniq; filia
O approbanda, & expetenda Pieris.
Adeste laurea, & liquore Thespio
Adoreamq; in astra ferte Maurici
Ducis pij, & valentis arte bellica
Vt ordinarij, & sacerrimi Itali
Et infulati episcopi, atq; Vandala,
Satusq; Mauritania propagine
Iberus eius arma pesimè horreat.
Reapse dux hic alma cura, faustitas,
Vigentis, & per ipsum imago patriæ,
Decusq;, Delphicam meret corollulam;
Cui aurum, & exaluminatus unio
Nitoris, æstimiq; gratiam aggerat.
Vbi hæc videnda veris instar exserit
Sua ora lux, dies it ipse gratior,
Sereniusq; solis emicat iubar.
Paratus imperator ille dextera
Cita expeditione Ianuaria
Ibera castra rure Turnoütio
Cecidit: hostiumq; strage maxima
Relata cum decore victor inclytus

Tropæa Battavo intulit palatioq;
Cui vocamen inditum eſt ab arbuto.
Deinde ne cruoris eſſe prodigus
Amor neceſſe haberet ille militum
Rei gerendæ inauſpicata tempora
Sinebat evolare patriæ bono.
Adeptus apta pro ſalute publica
Inæſtuare deſinente Sirio
Strategus, impigerq; dux ſcientia,
Manuq; promtus evocavit agmina.
Tetendit hercle velo, equiſq; ſerio
Supra Sicambriam, & fluenta Lupiæ,
Et Aſciburgium : indidemq; compede
Tricorne flumen expedivit hoſtica.
Ibi potitus urbium atq; fluminum
Procul remoti aduſq; litus Amiſi,
Quod invenimus attigiſse Bructeros,
Favente Marte ſubiugavit omnia.
Abegit inde Ibericas erynnias,
Et execranda gentis acta Romulę.
Novo vigore ſoſpitavit oppida,
Sub hoſte quæ fuêre ceu cadavera.
Ibi ægra corda iam medente pharmaco
Focillat, & ſerenat alma fauſtitas.
Modò eſſe mutua fide, & faventia
Velint reapſe ruſticiq;, & vrbici,
Agros ab hoſticis procul tumultibus
Aret colonus inter arma Maurici
Metu ſolutus: & boves perambulent
Amæna prata, ſylvulaſq; cęduas.
Propinquat hoſtis : ambiat levamina
Fidelibus ſpei icta plebs aculeis.
Dynacta noſter ilicò expediverit
Paratam opem : Deiq; providentiæ
Cetra, pedoq; nixus arva texerit
Inominata an eius arma ſubſidi
Fore arbitrare, ſi mamilla ſubſilit,
Micatq; læva ob iſtiuſce laureas?
Vides ei alites adeſſe candidas.
Metu quid ergo fluctuarius anxio,
Quaſi ex pilo ſit hic machæra pendula?
Tuoq; ſtes ſepulchri ad aggerem pede?
Sietveres acumine in novaculæ?
Habere nos ducem inquio ſat impigrum,

Adorea recente post caniculam
(Vt anteacta sopiam silentio)
Novem refregit vrbium repagula
Ahena, & obserata castra quattuor
Duosq; territo hoste cepit aggeres.
Quid inquiam amplius mea in panegyri?
Tribus subegit illa cuncta mensibus,
Metu, potentia, atq; lenitudine,
Et absq; clade atrociore militum.
In hoste nil statum fuit acerbius.
Ei pepercit assueta lenitas,
Benignitasq; invsitata partibus.
Quod hæc volucris in frequens sat albicet,
Docent pericla in hacce Martis alea,
Cruorq; suetus hic vtrinq; fundier,
Tot vrbiumq; sumtuosus exitus.
Deo litemus ergo laude debita,
Favore quod pios inumbrat vberi,
Salutiferq; nos ab hoste subtrahit.
Hic est probissimorum origo Principum.
Eos sua benignitate sublevat:
Vt arx in asperis tuetur ænea.
Adauget integella membra viribus,
Manusq; bellicam scientiam docet.
Humi retundit impiam superbiam,
Minasq; frangit, & dolosa retia.
Ab hoc parente, cuius arbitratui
Obœdiunt in orbe cuncta Dædalo,
Fluunt inæstimabiles adoreæ.
Sine hoc ab hoste nulla tela protegunt.
Proverb. Parantur arma militesq; prælio,
Sal. 21. 31. Sed est salutis arx, & arbiter Deus.
Gubernat en cor ille regis abditum.
In hoc pij ergò spes, opesq; collocant,
Et alligant sacram salutis anchoram,
Periculosa cum procella ad oppida
Necis nigrore fluctuat. Nec irritæ
Spei pudore (tam benignus est Deus)
Gænas Dei indigas repulsa purpurat.
Deus Deûm ille, dux ducem, piûmq; spes,
Regentis ex Orengia propagine
Cor asperet, suisq; genua viribus
Et arto amore brachia aucta fulciat,
Ne aperta bella cum, doliue subruant.

Diu hunc ab hoste protegat superstitem:
Det exq; prælijs redire sospitem,
Ita ut decore, laureisq: fulgeat.
Fluant duella prosperè. Coerceat,
Deusq́; perdat ultor impios apros:
Vagosue pellat ad plagas inhospitas,
Vt euirescat, atq́; sumat augmina
Quàm inulta rostra diruëre vineam.

AD ILLVSTREM ET GENEROSVM DOMINVM, D. IVSTINVM NASSAVIVM CLASSIS ZELANDICÆ PRAEFECTVM.



NASSAVI sate sanguine Aurasino,
Clasſis Mattiacæ ſciens magiſter;
Manu, conſilioque ſtrenue heros.
Quod gaudes, bene remque pro ſalute — εὐχαίρεις κ᾽ εὐπραγεῖς.
Publica geris haut honere parvo,
Spartam condecorans tibi tributam, — Σπάρτην, ἣν ἔλαχες τὰ πολλὰ κοσμῶν.
Hæc mentem exhilarat meam voluptas;
Muſamq́;, ut tibi de beatitate,
Et de Coniuge gratuletur, urget.
Pulchrum eſt ingenuo parente naſci,
Si pulchrum ingenium ſequatur ortum.
Multi ſanguine nobili creati,
Quorum induſtrij, & utiles gerendis
Majores patriæ fuëre rebus,
Stirpem dedecorant, ſuosq́; ſpurcant
Natales vitijs, titlumq́; inanem
Parvo nobilium gerunt honore.
Quis fructus ſine laude avûm, & parentum
Iactare in tabula capace laudes,
Si coram malè vivitur Catone? — Cenſorio.
Virtutes pater Auraſinus ille
Prudens, magnanimus, bonuſq; Princeps.
Collectas tenuit bono clientum,
Quæ diviſæ hominem ſolent beare.
Tu vir militiæ ſciens, & acer
Armis, nec pietate pœnitendus
Tantum Principe natus ex celebri
Virtutum genus omne, quod decorum,

Coniungis generi tuo pattrissans.
Grates a patria tibi ergo aguntur,
Et pasim æstimio æstimare magno.
Non ex alitis albidæ involatu,
Aut cantu oscinis auguror secundo:
Ast ex propitia Dei favoris
Aura te super hactenus micante,
Quod claris meritis magis vigesces,
Sumesque augmina nil Deo vetante,
Vt toto tua laus perennet orbe.
Vin' tu gloria classiariorum,
Zelandæq; decus, salusq; gentis
Arrhabonem animi haut secus volentis?
A me suscipe quam potes benigna
Fronte encomia versibus pelasgis,
Et panegyrin Itala camœna
De successibus optimè regentis,
Cui nil simile, aut viget secundum.
Heroas micat inter ille claros,
Ceu Phœbe aurea fulget inter ignes.
Verbum haut amplius addere æstimaui.
Nam silentia sunt decentiora,
Quam de Principe pauca verba tanto.
Leideo in studio tuus minister
Qui fui, veniam peto pudentem,
Quod vestræ generositati id orsus
Carmen pangere crassiore Musa.
In causa haut edo: comitas tua auctrix.
Virtutem dubitem mihi patere,
Quę non clauditur infimis homullis?
Ne donum, potius datoris in te
Appendas animum, bonamq; mentem.
Nil hic molliculum, aut parum pudicum,
Nil mixtum levitatis aut iocorum.
Mî castum placet, & pium poema,
Vt ex unguiculus leo æstimetur.
Quare habe hoc tibi, quicquid est libelli, &
Assertor venias, satisq; præstes
Securum me ab Iberico furore,
Ac nigro sale Zoili, & Theonis.
Hoc solatiolum feram laboris.
Te regum Deus, & Deus Deorum,
Qui vitæ spatium, atq; mortis urnam,
Et toto regit orbe major orbem.

Belliq; arbiter, atq; adorearum est,
Te rerum sator inquiam, atq; custos
Tutum militiæ domiq;, præstet,
Ne Mars lædat apertus, aut flagellent
Fraudes insidiantium dolosæ.
Te felicitet ergo, protegatq; Ps. 91. 3.
Certo præsidio, angeliq; circum
Stent pares manibus tibi ferundo
Per calles, salebrasq; tortuosas, Ps. 91. 11.
Ne quo tramite pes tuus labascat,
Aut te devius error in periclum
Incautum trahat, & nimis coarctet.

Pro Reipubl. Belgicæ incolumitate ad Deum preces.

CVi mare cui tellus, cui Dędala machina cœli,
Quęq; mari, & terra fieri, cœloq; tuemur:
Cuncta velint, nolint famulatu subdita parent:
Alme parens hominum, cœli, terræq; repertor.
Absq; tuo arbitrio fausta, infaustâq; nequaquam
Esse queunt: sine te lætum, nec amabile quicquam
Exoritur: sine te victoria nulla tenetur. Ps. 44. 8.
Pectore te ex imo, te supplice voce precamur,
Iussa sacra amplexas tua dextra muniat oras,
Nequando insidijs, vel aperto Marte premantur.
Sospitet unanimes altrix pax incola cives,
Et socias terras, ut mutuo amore ligentur,
Ne se odijs, iris, aut seditionibus actos
Indoleant serò data præda hostilibus armis.
Ergo magistratum sociatis porrige terris, Exodi 18.
Qui pietatis amans, observantissimus æqui, 21.
Osor avaritiæ, rerumq; exercitus usu
Ex animo veram tueatur relligionem: Ios. 1. 8. Ies.
Iuraq; det iustis, meritosq; coerceat ense. 48. 23.
In Proceres Belgî pietas, sapientia, virtus, Ps. 2.
Cura, fides, bonitas, nutrix concordia rerum, Rom. 13. 4.
Integritasq; tuo ex cornu locuplete redundent.
Ne data libertas odijs, legumq; replagis
Ira soluta ruat, neve effera facta patrentur:
Sed themis exsultet scelere ab radice putato,
Vt placidè vitam in pietate geramus honestam. 1. Tim. 2. 2.
Mauritium a teneris annis pietatis & æqui,

Legibus imbutum firma, & virtutibus auge.
Pro duce tam forti dignas persolvere grates
Non opis est nostræ, nec quicquid ubiq; piorum est.
Tu magis illius membris, animoq; vigorem
Suffice, ut infracto solidescant robore nervi.
Ps. 144.1. Bella manum doceas bellare ingentia fausto
Omine, ut illæsus trepidantibus hostibus instet.
Incolumen dubij rege per discrimina belli,
Perq; loca insidijs tacitæq; accommoda fraudi.
Ceu stipulæ flamis in agro crepitantibus ustæ
Sæpe procellosis rapiuntur in aëra ventis:
Sic scelerum vindex tanquam angelus, vrgeat hostem,
Disijciatq; fuga, & Belgî deturbet ab oris.
Te duce victrici devinctus tempora lauro,
In trivijs veluti cœnum deformę lutosis
Conteritur pedibus, premat hostica terga, piosq;
Cladibus exemtos subducat in otia pacis.
Frange Deus, belli quia solus es arbiter, hostem.
Retia cum pedicis, laqueiq;, scrobesq; dolosæ,
Quas parat innocuis cervicibus acer Iberus,
Psal. 7.16. In caput illius conversa clade recurrant.
Sicut inexpertum docuit mugire juvencum
Pernicie propria Siculo cogente tyranno
Ipse opifex tauri, tormentorumq; repertor.
Sicut & occiso qui dixerat esse litandum
Hospite Dijs, primum Busiridis astitit aris
Iud. 7.22. Hostia: ceuq; tubæ sonitu in sua viscera ferro
Vindice te verso cecidit Madiana juventus:
Haut secus incautus ruat in sua retia Iberus.
Sic Iacob Impietasq; omnis te concutiente fatiscat.
se sustenta- Sæpe tua urgentis nos dextera faucibus orci
uit Gen. Eripuit. Patrij hæc insignia amoris adepti
32.10.& A te cotinuam audemus sperare salutem.
David. 1. Protege sacra tuo clypeo domicilia verbi,
Sam. 17.34 Ne tua suffodiant apri vineta: racemos
Psal. 80.13. Ne volucres carpant: ne vitem animalia sylvis
14. Debita convellant, placidum caput effer olympo:
Ferq; benignus opem: & scelerato obsiste furori.
Math. 9 38. Fac habeat fidos ecclesia sancta ministros,
Qui satis exculti vitam, ingeniumq; per artes,
Atq; animum niveæ virtutis amoribus aucti
2. *Tim.* 2. Gentis in humanæ bene didita scripta salutem
15. Enucleent, ut honos divinus in orbe perennet.
Per scopulos illos, per naufraga saxa maligno

Dirige in hoc mundo, & præſenti robore firma,
Ne pia mens odijs mundi perculſa labaſcat.
Pelle venenatas fauces procul inde leonum, *Math.7.15*
Carnivorosq; lupos, quos pellis ouina coronat: *Act. 20.29.*
Queis minime eſt a te ſacri permiſſa poteſtas.
Arce etiam fœdis inhiantia pectora lucris; *Ioh. 10.12.*
Queis facile, haut Chriſti gregis emolumenta: ſed auri
Impetuoſa fames ſedes mutare ſuadet.
Pneumate nos ſacro rege, dirige, flecte guberna, *Ez. 11. 19.*
Vt liquidæ ad legis vitam inſtituamus amuſsim:
Daq; alios ſimul ad meliorem euadere frugem. *1. Tim. 2. 4.*
Luce ſalutifera tenebroſas imbue mentes,
Ne tua ab Æolijs rapiantur iuſſa procellis. *Ephe. 1. 16.*
Ne tua liueſcant nocuis adipata venenis, *17. 18.*
Antidotis ſanis aconita Hiſpana retundas.
Nos ſuper alta tui radiet Cynoſura favoris:
Et tua bellorum lex adſtet amuſium in undis,
Vt tibi pro donis ſollennia vota luantur.

DISTICHA SINGVLA SVNT ANNI CIↃ. IↃ. XCVIII. indices.

Votum pro religionis incremento.

ReLLIgIo CreſCat, fLWIo Vt VIret aßIta LaVrVs
AEthereI ChrIStI fVLta potente ManV.

Pro Naſsauijs.

NaßaVIos ne VIs aVt CæCa perICVLa tVrbent,
PorrIgat IIs ſVpero e VertICe ChrIStVs opeM.

MaVrICIo HeroI paX InCoLa ſoſpItet Vrbes,
Et popVLos VIrtVs LætIfICa aVCtet ope.

Ne qVoqVe pLanta rVens In reLLIgIone VaCILLet
LeX ſIet In tenebrIs Magna LVCerna VIæ.

Pro Batavis.

HIC agat, afflICtet, CrVCIet noVVs annVs Iberos
Vt BataVI MILtI paCe frVantVr agrI.

Pro Vltraiectinis.

HIC eat aVspICIIs MagnIs VtrICIbVs annVs,
Ne trVCe ferro atroX rVra fLageLLet Iber.

Pro Brederodijs.

IVstItIa, & pIetas BreDeroIa paLatIa fIrMent
GenVsqVe IVge InsIgnIant VIrtVtIbVs.
NeVe IterVM VagVLos ContrIstent beLLa penates,
VIVant repVLsI ab hostICIs perICVLIs.

Pro Merodijs in honorem Annæ Merodiæ uxoris D. Iust. Nassavij.

VsqVe Mero Deos nVtrIX Astræa penates
AVgeat, Vt serVet LongæVa In stIrpe nepotes.

Pro Boxtellijs in honorem D. Locrenij Herois doctissimi.

FVLCIat aVra DeI BoXteLLa paLatIa, Vt æqVVs
LocrenII In patrIa paCe dIVrnet honos.

CANTICVM ESAIÆ, de vinea cap. 5. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. loco corollarij.

Cantici Periocha.

Erudit Esaias Populum, qua vite molestet
Pro sapidis uvis nata labrusca Deum.

CVM mea lingua suo famulatu subdita rerum
Pareat auctori, quem circum gloria pennis
Ambit inauratis, quem toto pectore adoro;
Illius in laudem mea mens nova cantica panget,
Gutturaq; unanimi resonabunt æmula cantu.
Vinea carmen erit mihi: quam traduxit ab oris
Niliacis valido in Cananeos robore campos.

Dextra Dei invitis Pharijs, Solymisq; tyrannis
De sterili scrobe, & ad solem vergente cadentem Psal. 80. v. 9.
Pinguius ante solum metata in colle supino,
Tempore quo tellus genitalia semina poscit,
Dædaleo posuit pretiosas ordine vites.
Nec fuit indultus folijs oleaster amaris,
Aut ficus foliosa, nimisq; alimenta retractans.
Has, truculentus aper ne devastaret, ad unguem
Texit in aërias eductis sepibus auras.
Funditus excidit sceleratæ semina gentis,
Omniaq; inde procul lapidosa facessere iussit,
Et vacuam ornavit generoso palmite terram,
Sed mage iam pinguem, dulciq; uligine lætam.
In medio turrim solido ex adamante rigentem
Vertice sublimi ad speculanda pericula struxit.
Machina, quæ premeret detractas vitibus uvas,
Quæq; alia æstivis vindemia postulat horis,
Cuncta fuêre illic. O provida cura coloni.
His ita dispositis spe pectora plenus auebat,
Vt sua spumaret plenis vindemia labris,
Ambrosioq; omnes impleret nectare cellas.
Ast ea primæve naturam exuta parentis
Vinea, Phœbeo pro coctis igne racemis
Degeneri insipidas labruscas palmite fudit.
Ergo Colonus humo sua qui plantaria pingui
Crediderat, tandem spe multum captus inani,
Te, scelus in tantum ferventibus inquijt iris,
Obsecro, & obtestor sacrosancta propago Iehudæ,
Teq; adeo Solymæ gens incola, ubi alta Sionis
Regia, si nondum terras Astręa reliquit,
Si qua piæ mentis superest semiuncia, si quid
Vsquam iustitiæ est, tibi si solertia recti.
Eia age, rumpe moras, sacrum conscende tribunal.
Iudicium purum de meq;, meaq; ferendum
Vite. Proinde duas æquato examine lances
Profer, vt impositis causis vtriusq; sciatur,
Cur mea speratas mihi vinea deneget uvas.
Nunquid eam labor, & manus officiosa locavit,
Excoluitq; satis? quid in arte, operaq; reprendis?
An decuit viti maiorem impendere curam?
Brumane Rhipæo stridens Aquilone retardat,
Et tenerum florem penetrabile frigus adurit?
An succum exhaurit rabioso Sirius æstu?

Si quid aberratum, dic libero, & ore rotundo.
Cum mea debuerit largo pubescere fœtu *Psal. 80. v. 9.*
Vinea, & illius mustum certare falerno,
Degenerat planè : & veteres oblita racemos
Vah scelus, obtrudit viles ingrata labruscas.
Siccine cultori benefacta rependere fas est?
Esaia. 1. 3. Portat asellus herum, cuius præsepe frequentat,
Bos domino altori lactaria butyron affert,
Aruaq; speratis proventibus horrea stipant,
Vinea cur gratas mea mî non educat uvas?
Pars inimica procul, procul hinc pudefacta recedat.
Cur dominum contra commissa piacula cælat?
Nemo mihi iustam potis est impingere culpam.
Nunc igitur merito calidam succensus in iram
Eloquar horrendas, quas solvet vinea, pœnas.
Cum liqueat nasci telluris inutile pondus,
Quo mihi vinetum cum vinea nulla colono
Emolumenta ferat? viduatum sepibus illud
Hostibus in prædam citò, ludibriumq; relinquam.
Hoc volucres carpent, hoc depopulabitur apris;
Ps. 80. 14. Omnigenęq; feræ laniabunt vndiq; vitem
Quæ cito squalescet nullis habitata colonis
Nemo putando illam Saturni dente refinget:
Nemo bidente solum, glebasq; subacta novabit.
Iam lapidescenti lætamina nulla dabuntur.
Ne cui pampinea sint brachia fronde levanda,
Non erit æthereas qui sese lætus ad auras
Palmas agat, viridi ut trudantur cortice flores.
Quicquid erit, densis obducent sentibus herbæ,
Segnisq; in vastis horrebit carduus arvis.
Non erit hic tumidis metuendus Iupiter uvis.
Namq; monebo meas surgentes æquore nubes,
Ne pluvias mittant, queis vinea hiulca madescat,
Atq; maritetur, ne proferat alta racemos.
Talia morigerum cœlum data iussa facesset.
Sic mea in ingratam gravis incidet ultio vitem.



EXCVSATIO
POEMATIS SERIVS DEBITO EXCVSI, ET MINVS EXPOLITI.

Post hiemem ante hiemẽ mihi nata poëmata promo:
Huic moræ hiems fuit, & disſita ab urbe domus.
Non ego Pegaſidum fluuida hauſi embammata ab undis:
Vix (fatear verum) publica vena mea eſt.
Si mæcenatus mihi prima ætate fuiſsent,
Fons Aganippæus labra rigaſset aquis.
Serpit humi, cujus virtutibus officit ævum,
Et docile ingenium res nimis arcta premit.
Abſtinui cæpta cane pejus, & angue poëſi,
Cura mei in ſtudio dum graviore fuit.
Cauſa penes rerum felicia tempora, quod jam
Carminis heroi muſa retentat opus.

